

5
segregatione usq; ad mortem defendentes & testimonio iu-
uantes eam fidem quam in ecclesia catholica praedicari sci-
unt, hos coronat in occulto pater. In occulto uidentur rari
hoc uideri genus sed tamen exempla non desunt. Immo
plura sunt quam credi potest in omnibus generibus ho-
minum & exemplorum ad animarum curationem & ad
institutionem spiritalis populi uocatur diuina prouidentia,
Quam ob rem cum ante paucos annos promiserim tibi scribere
re carissime mi romaniane quid de uera religione sentire
Tempus nunc esse arbitratus sum postquam tuas acerrimas
interrogationes sine ullo certo fine fluctuare & caritate
quae tibi obstrictus sum diutius suscipere non possem. repu-
diatis igitur omnibus quaeque in sacris philosophantur
nec in philosophia consecrantur & his qui uel praua opini-
one uel aliqua similitudine tunc superbientes a regula & com-
munione ecclesiae catholicae deuiarunt & his qui suarum
scripturarum lumen & spiritalis populi gratiam quod
nouum testamentum uocatur habere noluerunt
Quos quanta potui breuitate praestrinxo. Tenenda est
nobis christiana religio & eius ecclesiae communicatio quae
catholica est & catholica nominatur non solum a suis.